



**Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio V. De operibus quintæ & sextæ diei, nimirum animalium,  
ipsiusque hominis productione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

## QVÆSTIO V.

De operibus quinta & sextæ Diei; nimirum animalium,  
ipsiusque hominis productione.

S. Thomas i. p. q. 71. & 72. item à q. 90. usque ad q. 102.

**A**bsolutetur haec quæstio duabus dubitationibus. I. Quodnam fuerit uniuersim opus quinta & sextæ diei: & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit. II. Quodnam fuerit conditio hominis in statu naturæ integræ & incorruptæ. Quibus denique addetur Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum Moysis Genes. i. accommodata.

## DUBIUM I.

Quodnam fuerit uniuersim opus quinta & sextæ diei; & in specie quomodo homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit.

S. Thomas i. p. q. 71. 72. & 93.

**T**ria sunt opera horum dierum, ut constat ex Genes. i. v. 20. Primum sunt aquatilia, & volatilia omnia, quinto die ex aquis producta; secundum sunt omnia animantia terra rationis experta sexto die ex terra producta; tertium est homo ad imaginem & similitudinem Dei factus eodem die sexto: cuius ordinis rationem iam exposuimus supra quæst. 4. dub. 2. Duo vero opera, non solum virtute, ut Augustinus dicebat, sed actu & formaliter designatis diebus fuisse producta; & quidem aqua & terra ad eorum productionem proxime quidem non nisi materialiter concurrentibus, patet ex ijs, quæ in simili, dicta sunt quæst. 4. dub. 1. & fuisus prosequitur. S. Thomas cit. q. 71. & 72.

Quibus positis, circa eadem duo opera priora, quæratur primo, quare inter opera vtriusq; quinque nimirum, & sextæ diei, numerentur reptilia. Respondeo breviter cum S. Thoma cit. q. 71. art. vn. quinto die fuisse producta reptilia aquatica, ut iuxta versionē LXX. & latini Interpretis nostri sunt pisces omnes; qui cum pedibus & alis careant, repatere quodammodo in aquis videtur, tametsi hoc præcipue tribui possit ijs, qui pinnulis velut alis destruuntur, ut sunt murena, anguilla; sexto autem die fuerunt producta reptilia terrestria, ut serpentes, crocodili, lacerti, &c. quæ propterea reptilia terra dicuntur. De qua re Hugo lib. anot. in Gen. c. 7. & Bonaventura in 2. d. 15.

Secundo quæratur, quare productio aquatilium & auium, aqua tribuatur; cum tamen terra potius constare videantur. Ad hoc responderet sanctus Thomas cit. quæst. 71. art. vn. ad I. Corpora auium & piscium posse duplice considerari, uno modo secundum se; & sic necesse est, inquit, quod in ea magis terrestris elementum dominetur: quia ad hoc, ut fiat contemplatio mixtionis, in corpore animali, necesse est, quod quantitative abundet in eo elementum, quod est minus actuum, scilicet terra. Sed si considerentur secundum quod sunt nata moueri talibus motibus; sic habent affi-

nitatem quandam cum corporibus, in quibus mouentur, & se eorum generatio hic describitur.

Sed quia obiecti mox poterat, ea ratione auium productionem aëris, non aquis attribuendam fuisse, respondet ibidem ad 3. aëris elementū, quia insensibile est, per se (ac seorsim) a Moysi non connumerari, sed cum alijs; & quidem quoad partem superiorem cum cœlis; quoad inferiorem cum aqua. Ad di potest, aquam a Moysi etiam hoc loco generationem accipi, pro substâlia diaphana & liquida, præterquam quod aëris terra propinquus, multis vaporibus & aquis exhalationibus abundat.

Omitto quod Caïtanus, Catharinus, Vielmissus, & ferè Pererius in hunc locum, existimant, genuino scripture sensu, & iuxta veritatem hebraicæ textus, non significari aues ex aquis productas. Quod non probatur: quia nostra lectione cuilibet alteri textui præferenda sane alium sensum non admittit; isque communis SS. Patrum & Doctorum sententiâ hactenus comprobatus fuit, à quo non est recessendum: præterim quando ipsa etiam Ecclesia eum sensum in cœlum hymno exprimit: *Magna Deus potentia, qui ex aquis ortum genus, partim remunis gurgiti, partim leuis in aëre, ut recte etiam notauit Gregorius de Valentia disp. 5. quæst. 3. punct. 5.*

Nec obstat illud Genes. 2. vers. 19. *Formati igitur, Dominus Deus, de humo cuncti animalibus terra, & uniuersis volatilibus celi, &c.* Nam præterquam quod Valentia loc. cit. cum Augustino lib. 9. super Gen. c. 1. illud, *de humo, solum ad animalia terræ spectare existimat, facile est ex dictis cum S. Thoma respondere, volatiliū productionem vtrique elemento, tam terra, quam aquis, tribui posse, siue diuerso respectu, ut dictum, siue quia ex vtriusque elementi materiâ magnâ ex parte constant.*

Tertio quæratur, vtrum omnia animalia aquatilia & terrestria duobus hisce diebus à Deo fuerint producta, & quid de amphibijs sentiendum; Respondeo, producta fuisse omnia animalia, quæ

& ex

& ex semine generantur; & virtutem generati-  
uam ad simile sibi progignendū habent: secus  
est de ijs, quæ vel non nisi ex coitu diuersæ specie  
animalium generantur, nec adeo vim habent ad  
generandum libi simile, vt sunt muli, vel quæ  
iuxta naturas rerum, primum non nisi ex pur-  
factione seu excrementis aliorum animalium ge-  
nerantur, vt sunt pediculi, pulices, &c. hæc enim  
tunc non actu, sed in potentia solum fuerunt  
producta, vt bene docet S. Thomas quæst. 72. art.  
vn. ad 5. Amphibia autem ad ea reducuntur, cum  
quibus maiorem habent conformitatem, iuxta  
eundem q. 71. ad 4.

8. Iam vero quod speciatim ad hominem attinet,  
difficultas est, circuallud, quod homo dicitur  
factus ad imaginem & similitudinem Dei; de qua te-  
quæritur primo, quo sensu generatim homo di-  
catur ad imaginem Dei; an quod homo sit imago  
Dei; an quod Deus sit imago hominis. Respon-  
deo cum Sancto Thoma quæst. 93. articulo 3. ad  
4. hominem dupliciter ad imaginem Dei factum  
dici posse; primum ut vocula *Ad desiginet terminum factum*, vt sit sensus. Faciamus ita homi-  
nem, vt sit imago nostra: Secundo, ut vocula, *Ad*  
*imaginem*, significet causam exemplarem, ita ve-  
lum imago dicatur Deus ipse seu natura diuina, velut  
exemplar, ad cuius similitudinem homo factus  
est. E quibus tamen prior sensus magis probatur:  
quia essentia diuina non nisi abusus & impri-  
mago dicitur, secundum quod imago ponitur pro exem-  
plari, vt ait S. Thomas ibidem.

9. Secundo quæritur, in quo haec ratio imaginis  
Dei, quam homo haber, potissimum consistat. Respondeo, excluso Anthropomorphitarum er-  
rore, superiori refutato, disp. 2. quæst. 3. dub. 1.  
qui cam imaginis ratione in corporis figura & hi-  
neamentis constituebant; rationem imaginis  
proprie positam esse solum in mente, seu anima  
hominis, vt docet S. Thomas cit. quæst. 93. a. 6.  
& tradunt communiter SS. Patres, Basilius ho-  
mil. 10. Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in  
illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius lib. 6. Hexa-  
em. cap. 8. & Augustinus in Psal. 48. cone. 2. et si  
de hac re dubitauerit Epiphanius cont. heret. 70.  
Quod hoc modo declaratur & probatur. Quia  
ad imaginem duo requiriuntur, nimirum primo,  
vt sit facta ad aliquam imitationem seu simili-  
tudinem alterius; quare ouum quo' quidem simile  
est, sed vnum alterius imago non dicitur: secon-  
do, vt habeat similitudinem cum illo, à quo ex-  
pressum est, non tantum genericam; sed etiam  
aliquo modo specificam; sive secundum speciem  
essentialem utrique communem, quo modo filius  
dicitur imago sui Patris; sive secundum aliquid ac-  
cidens proprium species; & præcipue secundum figuram,  
scilicet hominis imago dicitur esse in du pro. Quia igitur  
anima & mens hominis & ad imitationem essen-  
tiæ diuinae velut caule exemplaris rerum omnium  
facta est; & sicut etiam peculiarem quandam cu  
Deo similitudinem haber, secundum ipsam suam  
rationem specificam, natura scilicet intelligentis,  
utrique analogie communem, idcirco vere dieci-  
tur imago Dei.

Res cetera vero, quia tantum habent quandam

cum Deo similitudinem, secundum rationem ge-  
nericam; vel quia sunt; vel quia sunt & viuant,  
&c. idcirco effectus quidem Dei, & vestigia dicu-  
tur, sed non imagines Dei; sicut etiam vermis ex  
homine prognatus non dicitur imago hominis, vt  
pluribus declarat S. Thomas q. 93. a. 2. Secus est  
de Angelis, qui cum quoad perfectionem intelli-  
gendi hominem suparet, perfectius etiam ratio-  
nem imaginis Dei participant, quam homo; eti-  
nam neque cum plena & exacta perfectione, sed solum  
imperfecte: quia ad perfectam similitudinem spe-  
cificam & essentialiem non perueniunt; sed infini-  
te nihilominus à D. O. diffant; vt docet idem S.  
Thomas cit. q. 93. a. 1. & 3.

Tertio quæritur, Vtrum sit in homine imago  
Dei, solum quatenus secundum essentiam vius,  
an etiam quatenus trinus est in personis. Respon-  
detur cum S. Thomas cit. q. 93. a. 5. hominem vtro-  
que modo esse ad imaginem Dei; priori quidem  
modo, considerando uniusim rationem naturæ  
intelligentis; vt quæ sit præcedenti dictum; et a e-  
nim omnibus personis secundum essentiam com-  
munis est: posteriori vero considerando in ipsa-  
mente, seu anima hominis, tres vel ratione dis-  
tinctas perfectiones, sive quia in homine cerni-  
tur principium Verbi, Verbum, & Amor ab vtro-  
que procedens, quo modo eam imaginis rationem  
declarat S. Thomas cit. q. 93. a. 6. & ante illum S.  
Augustinus 9. de Trinit. cap. 4. vbi assignat ima-  
ginem Dei in anima secundum hæc tria, quæ sunt  
mens, notitia, & Amor: sive quia in homine sunt  
memoria, intelligentia & voluntas, vt docet idem  
Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 3. & 4. Quam-  
uis autem imago Dei inueniatur in anima primo  
& principaliter secundum actus, prout ex notitia,  
quam habemus, cogitando interioris Verbum for-  
manus, ac præcipue notitiam ipsius Dei, iuxta  
Augustinum lib. 14. de Trinit. cap. 11. deinde ve-  
rò ex hoc Verbo in amorem, eiusdem Deipositi-  
um, prorumpimus; nihilominus tamen, quia  
principia actuum sunt habitus & potentia, non quod  
autem virtualiter est in suo principio; secundario & quod  
ex conseqüentie imago Trinitatis potest attendere in anima secun-  
dum potentias, & præcipue secundum habitus, prout  
scilicet in eis actus virtualiter existunt, vt docet S. Thomas q. 93. art. 7.

Eadem similitudo hominis cu sanc*tissima Tri-*  
*nitate colligitur ex illis verbis Genes. 1. v. 26. *Fac-**

*amus hominem ad imaginem & similitudinem nostram;*  
quem esse sermonem nō Dei cum Angelis, sed Pa-  
tri cum Filio & Spiritu sancto (non vocalem in-  
afflantem corpore, vt male existimat Eugubinus  
in sua Cosmopœia, & Hieronymus Oleaster in  
cap. 1. Genes. sed intelligibilem) tradunt com-  
muniter SS. Patres, Gregorius Nyssenus orat. in  
illud, *Faciamus hominem*, Ambrosius lib. 6. Hexa-  
em. cap. 8. & Augustinus l. 12. Trinit. cap. 6.

cuius-

Quarto quæritur, an, & quo modo ratio simili-  
tudinis, ad quam homo factus dicitur, distingua-  
tur à ratione imaginis. Respondeo cum S. Thomas  
cit. q. 93. a. 9. post Augustinum lib. 83. q. 5. 1. di-  
stingui; & quidem dupliciter, primo vt similitu-  
do sit præambula & prior imagine, tunc quam ratio  
communis in imagine inclusa, cum sit de ratione

cuiusq; imaginis, vt sit ad similitudinem exemplaris facta, vti dictum est. Secundo, vt sit aliquid ratione posteriorius, & quasi perfectio superaddita communis rationi imaginis, ita vt dicat peculiarem expressionem & perfectionem imaginis; quo modo dicimus vnam imaginem esse prototypo similiorem, quam alteram; aut vnam absolute similem, alteram non ite. Et hoc posteriori sensu similitudo loc. cit. additur ad imaginem, significans similitudinem gratiae, perficiendam in gloria. Quia vt dicit Damascenus l. 2. c. 13. Id quod est secundum imaginem, & intellectuale significat, & arbitrio liberum, per se potest statuere: quod autem secundum similitudinem virtutis, secundum quod homini posibile est, habere similitudinem. Et ad idem referuntur, inquit S. Thomas, quod similitudo dicitur ad dilectionem virtutis pertinere. Non enim est virtus sine dilectione virtutis.

Ex quo sequitur, omnes quidem homines esse ad imaginem Dei; vt docet idem S. Thomas q. 93. a. 4. quandoquidem ratio imaginis in ipsa natura mentis seu anima positam est, vt dictum; sed ad similitudinem Dei specialiter ratione & sensu, quem scriptura citato loco Genesis intendit, solummodo esse iustos. Quod etiam tradit Origenes l. 3. peri archon cap. 6. Basilius homil. 10. in Hexaem. Gregorius Nyssenus orat. in illud, *Faciens hominem*. Theodoretus q. 20. in Genes. & Theologicum Magistro in 2. dist. 16. Quanquam Patres nonnunquam etiam imaginem Dei ita interpretantur, vt eam, in gratia Dei positam, ac per peccatum amitti afferant; quod tamen in Origene improbat Epiphanius epist. ad Iohann. Hie osolyman & heresi 78. & ex parte etiam retractat Augustinus l. 2. Retract. cap. 2. 4. Plura de his reb<sup>9</sup> Pererius tom. 1. in Genes. lib. 4. & S. Thomas locis citat. & ques. 92. vbi speciatum de formatione mulieris ex costa Adami agit; afferens a. 3. eam, costam in Adamo fuisse, supra consuetum numerum costarum; nec adeo eius loco nisi carnem, vt loquitur scriptura, restituam: et si alij aliter; male quidem Cajetanus Genes. 2. afferens, Euamino vere & proprie, sed solum metaphorice producam fuisse ex costa Adami; quod parvum tumulum in fide censet Molina disp. 24.

## D V B I V M. II.

*Quanam fuerit conditio hominis  
in statu natura integra & in-  
corrupta.*

S. Thom. 1. p. q. 94. usque ad q. 102.

Prosequar tantum potiora; & paucis questiu- culis rem breuiter declarabo. Quæratur primo; qua scientia primus homo in statu Innocentiae fuerit praeditus. Respondeo cum S. Thoma q. 94. Adamum fuisse conditum cum perfectissima scientia; quamuis enim non habuerit cognitionem quidditatiuam vel intuituā Dei; nec quidditatiuam Angelorum; tamen eos cognitione naturali abstractiuam multo cognovit apertius, quam ab ullo homine cognoscantur, vt cum Sancto

Thoma hic q. 94. artic. 1. & 2. habet communis. Deinde per fidem cognovit Adamum ipsum Deum, vt auctorem bonorum supernaturalium; ipsamque sanctissimam Trinitatem; tum Incarnationem Verbi, quoad substantiam; adeoque mysterium coniunctionis Christi & Ecclesiae; vt ex communione docet S. Thomas 2. 2. question. 2. articulo 7. & forte etiam casum & ruinam Angelorum, vt docet Catharinus in cap. 1. Genes. & probabile censent Pererius lib. 5. in Genes. & Gregorius de Valentia disputatione, 7. question. 2. pun. 1. Tertio habuit scientiam per accidens infusam omnium rerum naturalium; quatenus vel ex primis principiis per se notis sciri possunt, vel ad alios erudiendos & gubernandos sciri debent: quicquid de scientia elementorum & corporum coelestium, sine causa negari. Caietanus q. 94. a. 3. non autem cognovit numerum arena maris, aut secreta cordium, & similia; vt ex communione docent S. Thomas cit. q. 94. a. 3. & Doctores in 2. d. 2. Neque vero illa scientia tuit specie diversa à nostra; cum solū differret per accidens, ratione modi eam acquirendi, vt cum Caetano cit. a. 3. recte Valentia loc. cit.

Denique ad perfectionem eius scientiae pertinet, quod Adam, dum ex statu Innocentiae per peccatum mortale non excidit, nulla in re potuit decipi; probabilibus solum ut probabilitas, & cum modo probabilitatis, non absolute assentiens, vt in simili de Angelis dictum, & docet S. Thomas cit. question. 94. articulo 4. post Augustinum lib. 3. de lib. arbitri. cap. 12. vlti ait: *Approbare vera pro falsis, non esse naturam insitum hominis, sed pœnam damna.* Quare nec Eua prius fuit à serpente decpta; quam in ea esset amor proprie patetatis, & quoddam de se superba presumptio, vt cum S. Augustino lib. 10. Genes. ad lit. capit. 30. docet S. Thomas cit. articulo 4. ad 1. Quia omnia fere colliguntur ex illo Ecclesi. 17. v. 5. vbi de primis parvulis dicitur: *Cor dedir illis ex cogitandi, & disciplina intellegit replevit illos.* *Creatus ei scientiam spiritus, sensu impletus cor illorum;* & mala, & bona ostendit ei: *passus osculum ipsorum,* super corda illorum, *ostendere illis magnalia operum suorum &c.* vt magnalia enarrant operum illius.

Quæratur secundo; quanā fuerit conditio hominis in statu innocentiae, quoad voluntatem, adeoque gratiam & iustitiam. Respondeo, hominem in eo statu fuisse conditum cum gratia iustificante, ipsaque, quam vocant, iustitia originali. Ita ex communione docet S. Thomas q. 95. a. 1. post Augustinum lib. 12. de ejus Dei capit. 9. et si de hac re perplexo locutus fuerit Magister in 2. dist. 2. 3. & auctor libri question. veteris & novi testamenti question. 12. 3. & colligitur ex illo Ecclesi. 7. versu 30. *Dens hominem fecit rectum.* Quia rectitudo in hoc consistebat, quod & ratio subdebar Deo; rationi vero inferiores vires; (itavt in appetitu nulla esset rebellio aduersus spiritum) & anima corpus; ē quibus prima subiectio erat causa & secunda & tertia. Quamdiu enim ratio manebat Deo subiecta, etiam inferiora rationi subiectiebantur, vt cum Augustino lib. de natura & grat. capit. 15. & de corrept. & grat. cap. 11. docet S. Thomas ibidem.

4 Nec obstat, quod in hoc eodem libro cap. 10. dicit Augustinus, *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut prius in eis ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium, iustitiaeque iudicium.* Nam ut bene, Sanctus Thomas ibidem ad 3. sensus non est, Angelum vel hominem prius fuisse creatum in naturali libertate arbitrij, quam haberet gratiam; sed Deum ostendisse, quid in eis posset liberum arbitrium, ante confirmationem; & quid postmodum consecuti essent per auxilium gratiae confirmantis. Sicut autem Angelus nihilominus gratiam accepit per propriam dispositionem, quam in eodem instanti habuit, ita hoc etiam credibile est de primo homine, ut docet S. Thomas cit. artic. 1. ad 5. quia motus voluntatis non eget mora vel successione. Gratiam autem sanctificantem comitabantur ceterae virtutes, ut docet S. Thomas q. 95. a. 3. & in simili de Angelis dictum.

5 Quæritur tertio, an & quale dominium homo in statu innocentiae habuerit, cum in res ceteras corporeas; cum in alios homines. Respondeo habuisse dominium quoddam naturale, cum infallibili effectu, ne inquam homini resistarent, vel nocerent; cum in bestias & animalia omnia; (quibus si natura sua carniuora essent, sicut nihilominus cibus naturalis, ex aliorum animalium cæde defuturus non erat, iuxta S. Thomam q. 96. a. 1.) cum in plantas & res alias inferiores; non quidem his dominando per imperium, vel immixtationem, sed absque impedimento utendo eorum auxilio; ut docet S. Thomas question. 96. articulo 1. & 2. Et colligitur ex capit. 1. Genes. versu 26. *Praefisi pescibus mari, & volatilibus coli, & bestiis, inueni saque terre, omniisque reptili, quod moneatur in terra.* Et versu 29. *Ecco dodi vobis omnem herbam afferentem semen super terram. &c.* Secus est de cœlis ipsi, & atriis; quia his homo suo arbitratu non poterat vti, nec de ijs disponere: praterquam quod secundum yniuersalem vim & rationem causandi, ipso quoque homine essent superiora.

6 Sed & futurum erat in eodem statu innocentiae dominium unius in alios homines; non quidem proprietatis, velut in seruos seu mancipia; sed Iurisdictionis, velut in liberos & conciues; quos & ad eorum proprium, & commune bonum ordinatus esset. Hoc enim in communitate requirit bonus ordo politiae, ipsumque bonum communione, ut docet S. Thomas q. 96. a. 4. & tradit Augustinus lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 14. vbi ait: *Iusti non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: hoc naturalis ordo prescribit; ita Deus hominem condidit.* Neque tamen in paradiſo nullus ideo locus preceps aut coactioni futurus esset; quia in eo, manente statu innocentiae, nec transgressio locum habitura esset.

7 Quæritur quarto, an & qua ratione homo in statu innocentiae fuerit immortalis & impassibilis; loquendo scilicet de passione corruptiua & proprie dicta, qua subiectum à sua naturali dispositione remouetur. Respondeo, omnino fuisse immortalem & impassibilem; non quod, etiam excidendo ex statu innocentiae per peccatum, pati & mori non potuerit; sed tum

quia poterat omnino, si vellet, & non pati, & non mori; tum quia nec poterat quidem, manente eo statu innocentiae, quicquam pati, vel mori, ut docet Sanctus Thomas question. 97. articulo 1. & 2. post Augustinum, seu quisquis est auctor questionum noui & veteris testamenti questione 19. vbi dicitur: *Deus hominem fecit, qui quandoiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi author esset, aut ad uitam, aut ad mortem.* Quam rem ex instituto prosequitur Augustinus lib. 1. de peccat. merit. & remiss. capit. 2.

Causa vero & propria ratio huius immortalitatis non erat, quod autipse homo intrinsecè per naturam esset incorruptibilis, vt sunt ea, que vel materiae parent, ut Angeli; vel materiam ad unam tantum formam determinatam habent, vt corpora coelestia; nec quod ratione ipsius anime, veluti forme, per redundantiam in corpus transfundentes quandam incorruptionis vigorem, immortalis esset, vt corporibus beatorum accidit; sed solum ratione causæ efficientis, infallibiliter hominem à corruptione in eo statu præfervant; tum ipsius scilicet Dei, proprie que ipsius hominis industria, remouentis vel cauientis ea, quæ corruptionem possent causare; tum etiam arboris seu ligni vita, cuius esu identidem subinde, ac per certa temporum interculla repetito, humidum radicale calotq; naturalis in suo vigore perpetuo conseruaretur, ut docet S. Thomas cit. q. 97. a. 1. & 4. post Augustinum lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 26. vbi ait: *quod cibus aderat homini, ne esuriret, potus ne fuisse, & lignum vita, ne senectus eum dissolueret.* Et author lib. qu. noui & ver. testam. ait, *quod vita arbor, medicina modi, corruptionem hominem prohibebat.* Nec opus videtur alia qualitate animæ indita, quam Caïetanus ex S. Thoma, vti patet, eod. a. 3. assignat, & reicit Scotus in 2. dist. 19. q. vn.

Ea tamen impossibilitas non obstabat, quo minus in eo statu locum haberet indigentia & vius cibi, potusque; atque etiam vius naturalis generationis per coitum, sed absque libidine, & sterilitatis defectu, ut docet S. Thomas question. 96. articulo 3. & cit. question. 97. a. 3. & q. 98. a. 1. & 2. post Augustinum de ciuit. lib. 14. c. 26. & satis patet ex Genes. 1. versu 29. & capit. 2. versu 21. & 24. eti de naturali generatione alter senserint Gregorius Nyssenus lib. 3. de hom. capit. 18. & lib. 18. de prouid. capit. 18. Chrysostomus homil. 18. in Genes. Damascenus libro 4. capit. 25. & Euthymius in psal. 50. sed sine causa & fundamento nec satis consentaneè scripture Genes. 2. v. 24. *Et erunt duo in carne una.*

Quinto quæritur, quænam tunc futura fuisset conditio prolis in eo statu progeneranda. Respondeo primo, omnes nascituros fuisse corporeo & integro; non tamen adhuc quoad mortu, vium membrorum, & statutum perfecto; sed sensim, vti hominis natura exigit, perficiendo; ut docet S. Thomas question. 99. a. 1. Secundo nati fuissent omnes cum gratia & iustitia originali; ut docet S. Thomas q. 100. a. 1. eti nonnulli de gratia alter senserint. Et ratio est, Quia

Gratia

Gratia & Iustitia originalis in Adamo fuit accidentis ipsius quasi naturæ specificæ; alioqui enim eius amissio nihil obesse posteris poterat; nec ipsius in peccatu imputari: Ergo destinata etiam erat pro posteris.

11 Non tamen nati fuissent ideo in iustitia confirmati, vt secundum mentem Augustini lib. 14 de civit. cap. 10. docet S. Thomas quæst. 100. art. 2. et si contrarium sibi persuaserit Anselmus lib. Car. Deus homo, cap. 36. Et ratio est. Tum quia consentaneum erat, vt quamdiu status merendi duraret, maneret etiam libertas ad vtrumlibet, bonum felicet & malum. Tum quia non conueniebat, vt proles meliore condizione nascere.

12 quæqua Parens ipse primus conditus fuit; qui tunc non obstante statu innocentia, potuit peccare. Neque tamen peccatum vnius ex posteris Adæ nocuisse alijs, sed ipsi solum, mox idcirco ex paradiſo exterminando, eiisque prole deinceps ex ipso nascituræ, &c.

Tertia nati fuissent in eo statu omnes, non quidem scientia iam perfecti: nec cum pleno ysu rationis; sed è mentis & ingenij facultate; qua absque difficultate scientias acquisiſſent, sive inuenient, sive addiſſende; vt docet S. Thomas quæst. 101. a. 1. & 2. Quarto nati similiter fuissent omnes immortales & impassibiles, iuxta modum quæſtione 4. explicatum; & sequitur ex vi ipsius iustitiae originalis, qua cum illi fuissent nati, vt ex S. Thoma dictum q. 100. a. 1.

13 Sexto queritur, vtrum omnes in eo statu progeniti futuri fuissent pares, sive quoad corporis, sive animi dotes. Respondeo cum Sancto Thoma quæst. 96. art. 3. & ex dictis, negative. Varia enim inter eos futura erat inæqualitas; & primum quidem quoad sexum; nam & viri & mulieres futuri erant. Secundo ratione ætatis, non enim simul utique omnes erant nascituri, sed successivæ alij atque alij, donec prædestinorum numerus completeretur: qui an idem præcise futurus esset, qui modo est, incertum est, & non nihil disputatum de prædestinat. disp. 3. quæst. 5. dub. 5. Tertio ratione statura corporis, ex dictis quæſtione 5. & probabilitate etiam ratione virium & roboris etiam in pari aliquin ætate. Quia vt bene notat Sanctus Thomas cit. quæst. 96. articulo 3. [Corpus humanum non erat totaliter exemptum à legibus naturæ; quin ab agentibus exterioribus aliquod commodum aut auxilium recipere, magis vel minus, cum etiam & cibis vita- eorum suffentaretur. Et sic nihil prohibet dicere, quin secundum diuersam dispositionem æris, & diuersum situm stellarum, aliqui robustiores corpore generarentur, quam alij, & maiores, & pulchriores, & melius complexionati, ita tamen quod in illis, qui excederentur, nullus esset defectus, sive circa animam, sive circa corpus.] Ita S. Thomas.

14 Quarto iuxta eundem ibidem, etiam secundum animam diuersitas fuisset, & quantum ad iustitiam, & quantum ad scientiam. Non enim ex necessitate homo operabatur, sed per liberum arbitrium: ex quo ratiō habet, quod homo posset magis vel minus animum applicare ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum. Vnde quidam magis preſeruent in iustitia &

scientia, quam alij. Ita Sanctus Thomas ibidem. Ex quo sequitur, etiam futuram tunc fuisse inæqualitatem in remuneratione & gloria; quæ gratia & meritis responderet, vt suo loco de hominibus in hoc statu viuentibus dictum disput. 2. quæst. 6. dub. 5.

15 Septimo queritur; quænam fuerit conditio loci, seu paradisi, in quo tunc homines viventur: & an paradisus adhuc superstet. Respondeo breuiter, de paradiſo hæc statuenda videri. I. Adamum in paradiſo non fuisse productum; sed extra paradiſum; & postea in paradiſum translatum, secus est de Ena, quæ in paradiſo fuit formata. Ita Sanctus Thomas quæst. 102. articulo 4. & colligitur ex Genes. 2. vers. 15. Tulus ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Ermo infra vers. 21. Ad veron non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam &c. Rationem congruentiæ rectè affigunt Sanctus Thomas loc. cit. Quia paradiſus fuit locus congruus humanae habitationis, quantum ad incorruptionem primi statut: incorruptio autem illa non erat hominis secundum naturam, sed ex supernaturali Dei dono. Ergo hoc gratia Dei imputaretur, non humanae naturæ, Deus hominem extra paradiſum fecit; & postea ipsum in paradiſo posuit, ut habitaret ibi toto tempore animalia (sive naturalis) vita, post modum cum spirituali vitam (terminatione vita naturalis) adpensus esset, transferendus in celum. Alia fuit ratio Angelorum, quibus cum secundum ipsam eorum naturam, utpote supremam, congrueret supremus locus cœli, merito ab initio in illo fuerunt creati. Alia etiam ratio fuit mulieris, cui eti pariter secundum naturam locus paradiſi non debet, eum tamen ab initio sua formationis obtinuit, ob dignitatem Adami, velut principij, ex quo iam in paradiſum translato, fuit formata, ut dictum, & ibidem docet Sanctus Thomas.

16 II. Paradiſum fuisse locum corporeum, & quidem in aliqua parte conuexe ipsius terræ superficie positum. Ita S. Thomas cit. quæst. 102. a. 1. post Augustinum lib. 8. super Genes ad lit. in princip. ex communi; quicquid Origenes & alij nonnulli in contrarium dixerint. Patet ex historiæ narratione Moyſis, & maxime ex cit. Genes. 2. vers. 15. Posuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & custodiret illum; hoc est, excoleret, tum ob animi recreationem, tum ad comparandam experientiam virtutis naturæ, custodiret vero, non aduersus inuasorem; sed sibi, ne ipsum peccando amitteret; vt recte interpretatur Sanctus Thomas quæst. 102. art. 3. Terra autem illa, quæ excolenda erat, & flumina, quæ ex paradiſo egrediebantur, Genes. 2. vers. 10. vbi esse poterant, nisi in superficie terra quacunque dentum parte? Quod ergo Beda 2. Cor. 12. dixit, paradiſum pertingere usque ad lunarem circulum, aut non est verum, (si ad literam & proprie accipiatur;) aut figurate accipiendo est, secundum quasi effectum; quia fuit in eo tantaveris amoenitas & tranquillitas, perinde ac si lunarem circulum contingret, ut respondet Sanctus Thomas cit. q. 102. a. 1. ad 1.

17 III. Paradisum permansisse saltem usque ad diluvium. Ita praeter communem Patrum sententiam colligitur ex scriptura Genes. 3. v. 24. Eiecit Adam & collocavit ante paradisi voluptatis cherubim, & flammum gladium atque versatilis, ad custodiam viam ligni vite. Quorundam enim tali custodia opus esset, si mox, aut paulo post foret destruendus? Praeterquam quod nulla erat ratio destructionis, ipseque Enoch postea ad paradisum translatus fuisse dicitur Eccli. 44. v. 16. Enoch placuit Deo, & translatus est in paradisi, ut det gentibus pietatem.

18 IV. Paradisi quidem locum adhuc in terris vispam extare; nec tamen determinate cognitum esse. Declarantur singula; Vtique enim pars traditur à Sancto Thoma citat. question. 101. articulo 2. & est communis Patrum ac Doctorum, qui absolute docent, paradisum adhuc superesse. Ratio sumitur ex praecedenti assertione. Quia enim paradisus erat quedam certa terra portio, singulariter à DEO exculta, ornata, & ad hominum habitationem accommodata, non potest negari, cum locum secundum se & materialiter acceptum adhuc superesse; quia terra nullius tam nobili parte diminuta est: etiam si gratis interim concedatur, eam partem postea fuisse aquis seu mari circumfusam. Quia tamen nemo hactenus fuit, qui eum locum in particulari cum fundamento solido determinauerit, nec ex Scriptura ullum sumi potest firmum indicium, quo is locus particulariter definitur; idcirco nobis ille adhuc manet incognitus. Quamuis enim dicatur fuisse positus in Oriente, respectu Palastinæ, iuxta Isidorum 1. 14. Etymolog. c. 13. & S. Thomam q. 102. a. 1. & versione LXX. & quorundam aliorum eius loci Genes. 2. v. 8. ubi nos legimus *A principio*, hebraice *Mik kedem*; cui nonnulli addunt fuisse sub æquinoctiali; quia tamè vtrunque loci attributionem latissime patet; & quod de æquinoctiali dicitur, incertum est, nihil ex his particulatim potest definiri. Idem docent Augustini 1. 2. de grat. Christi cont. Pelagiū & Cœlestiū c. 2. 3.

V. Probabile esse, cum paradisi locū modo ea amoenitate non esse peditum, quam olim habuit: ac pīnde nec paradisum absolute loquendo amplius extare: et si contrarium non minus probabile. Priore partem tradidit illi, qui absolute negant, paradisum modo extare; in quibus potissimum Pererius lib. 3. & 7. in Genes. post Iansenium Concord. Euangelic. capit. 143. quos sequuntur non pauci recentiores. Probatur & declaratur. Quia paradisus, ut esset congrua hominis in statu innocentiae habitat, non habebat hoc à natura; sed singulari quasi cura & cultu ipsius Dei; Gen. 2. v. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum* (seu horrum) *volutatis à principio*, &c. Quod etiam ratio dicit. Quia ppetua illa & constans æquabilitas ac temperies aëris, nudis hominum corporibus souendis necessaria; coniuncta tamen simul cum aliqua temporis vicissitudine, frugibus necessaria, non poterat esse sine peculiari Dei cura ac prouidentia: siquidē in nulla terre parte, ut experientia liquet, talis temperies constanter reperitur. Deinde amoenitas salubritasque fructuum, ac pīcipe arboris vita, non aliud nisi

Deum quasi plantatorem & cultorem requirebat; quod etiam indicat scriptura Gen. 2. v. 9. *Prædictusq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrū visū*, & ad descendendum suave: lignum etiam virile in medio paradisi, lignumq. scientia boni & mali. &c. Cum autem inundante postea diluvio, cuius aqua quindecim cubitis omnes montes superauerunt Gen. 7. v. 20. vtique etiam paradisi locum, nisi Deus singulari miraculo obstareret, obrui & destruiri necesse fuerit; neq; tamen villa appareat ratio, cur Deus singulari miraculo, aut eum aquis obrui nolet, aut de uno ad antiquam amoenitatem restaurari vellat, probabile fit, paradisi amoenitatem & decorum illum, vnde nomen accepit, non ampli⁹ exflare.

Nihilominus quia communis SS. Patrum & Doctorum consensus cum Magistro in 2. dist. 17. & cum S. Thoma q. 102. a. 1 ad 2. & 3. & a. 2. ad 3. & 4. censet, paradisum adhuc extare, in eoq; etiam Enoch & Eliam degere, non minus probabile est, etiamnum paradisum superesse, saltem secundum ea, quae in ipso præcipuaerant; vt et varia omnis generis fructuū arborumq; amoenitas, aëris in signis temperies, & arbor vita. &c. quæ nil obstat post diluvii etiam in alium forte terra locū fuisse translata. Vide Gregorium de Valentia disp. 7. q. 6. pun. 2. & Molinam de operibus sex dierum, disp. 2. 5, & sequentibus.

*Brevis Synopsis totius opificij sex dierum, ad textum scripture Genes. 1. accommodata.*

Placet ad confirmationē eorum, quæ hactenus tum de cœlis, tum de reliquo opificio sex dierum docuimus, brevi compendio rem totam sub conceptū pponere; idq; iuxta seriem & contextum ipsius scripture Genes. 1. vbi hac de re agitur. Ex quo patet, totam Moysis narrationem, iuxta expositā à nobis doctrinā, facile, plane, ac pīspicue intelligi posse; non autē ita confide secundum eam, quam multi alij, de opificio sex dierū, atq; in primis de cœlis tradiderunt doctrinam. Sic igitur habent verba Genes. 1. iuxta traditam à nobis doctrinam explicata.

versus 1. *In principio* (hoc est, in primo instanti temporis, iphusq; primi diei naturalis, tempore verno, ut dictum q. 1. dub. 4. & q. 2. dub. 1.) *creauit* (ex nihilo produxit, propria creatione, ex dictis q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1.) *Dens* (acta totalia sanctissima Trinitas, cui id opus commune, ex q. 1. dub. 2.) *Celum* (totum corpus celeste quod substantiam) & *terrā* (elementum terre, & omnia intermedia, quae ab his continentur corpora simplicia, seu elementa: adeoq; totum mundum corporeum, quoad substantiam, ut dictū q. 2. dub. 2.)

versus 2. *Terra austem* (vti propria eius natura fererebat) erat inanis & vacua (nullaq; adhuc distinctione, nec ornata planitarū, aliorumq; mixtorū corporū pedita;) & *tenebrae* (duodecim quas horarū, vniusq; adeo noctis spatio, ex dictis q. 2. dub. 3.) erant super facie abyssi (totiusq; mundi corporis, tam celestis, quæ elemētaris, iā ante aquad substantiam creati, & quasi profundissima & caliginosa quadā abyssō demersi.) *spiritus* Dei *ferebatur* super aquas

*aqua* [Hoc est, Deus ipse, qui Spiritus est, seu Spiritus sanctus, cui ratione amoris bonitas & fœcunditas attribuitur, intima sua præsentia incumbebat, seu incubabat quodammodo toti liquido illiac diaphano, tam cœlesti, quam elementari corpori, quod à terra sursum versus per infinita quasi spatio diffusum erat; tam illud fouendo, ac in suo Esse conseruando, quam ad ulteriores perfectiones & effectus successiue deinceps, diebus sequentib⁹, recipiendos ac producendos destinando, ut dictum q. i. dub. 4. & toto reliquo tractatu.

Versus 3. *Dixit Deus* ( verbo mentis, non oris, adeoq; decrevit) *Fiat lux*; [ non luminare, seu certum aliquod & constans corpus luminosum; sed qualitas ipsa lucis corporeæ, secundum lineam æquinoctialis circuli, in corpore cœlesti diaphano, successiue pducatur, ut intra viginti quatuor horas, pductio illa, successiva facta, suū quasi circulū conficiat, perinde ac si corp⁹ luminosum eodem temporis spatio motu suo circulum absolueret; eaq; lux deseruiat, tum ad distinctionem operum diuinorum præcipue corporis cœlestis, tum ut successiua quasi p motione, atq; ad aspectum, suo quasi motu, diebus noctibusq; distinguisendi, tantisper deseruiat; ex dictis q. 2. dub. 3.] *Et facta est lux*. [ post duodecim videlicet horas noctis, seu tenebrarum, in plaga cœli Orientali, respectu Palestinae, iuxta dicta ibidem.

Versus 4. *Et vidit Deus lucem, quod esset bona*] adeoq; consentanea rerum naturis; non quod, ut opinor, ex essentiæ corporis cœlestis velut p proprietas emanet; sic enim celos à principio lucidos fuisse, necesse foret; sed & astra consequenter inter se, & à celis suis essentialiter different: sed quod celos, velut eximia quedam perfectio ab omni corruptione aliena, sumpere exornet, bonoq; totius viviueris admodum oportuna sit.] *Et divisit lucem à tenebris*, non efficiendo nouum aliquod interstitionis lucis ac tenebrarum; sed spatio ac tempus earundem certa lege definiendo ac disterniendo, ex dictis cit. q. 2. dub. 3.

Versus 5. *Appellauit lucem diem (artificialem)*, non naturalem; hic enim vtriusq; nodis ac diei artificialis spatiū complectitur, ex dictis q. 2. dub. 1.) *Et tenebras*) siue carentiam luminis, in mundo iam creato) noctem. Factumque est vespero & mane (hoc est, ex tempore tenebrarum, duodecim horis creationem lucis antecedente, & tempore productæ lucis, totiusque diei artificialis, duo-decim itidem horas conscientie) dies unus [ siue primus, ut dictum q. 2. dub. 1. & 3.]

Versus 6. *Dixit quoque Deus; Fiat* (non producatur ex nihilo, sed expræsubiecta materia cœlestis corporis, ipsaq; substantia coeli sua natura & pro tempore adhuc liquida, ex dictis quæstione tertia, dubio secundo,) *Firmamentum* (condensatione & consolidatione cœlestis corporis, ex quæstione tertia, dubio primo, & secundo,) *Et dividat* (seipso velut solido & immutabili interstitio) *aqua* (superiores, siue superiorem cœlestis corporis substantiam liquidam, beatorum habitacioni destinatam) *ab aquis* [inferioribus, totoq; corpore liquido & diaphano elementari, ut dictum q. 3. dub. 1.]

Versus 7. *Et fecit Deus* (non creauit ex nihilo, nec productione seu mutatione substantiali, sed solū accidentalí, addita cœlesti substâtiæ soliditate, ex dictis cit. q. 3. dub. 1.) *Firmamentum* (solidam illam celorum machinam; in qua postea stellæ ac planetæ erant collocandi, ex dictis ibidē.) *Divisitque aquas, quæ erant sub firmamento* (elementaris nature) *ab his, quæ erant supra firmamentum* [ seu supra ipsū consolidatum iam celorum corpus, cœlestis naturæ, ut dictum cit. q. 3. dub. 1. & 2.]

Versus 8. *Et factum est ita. Vocauit Deus firmamentum calū*: (nomen illi substantiæ iam antea conueniens, etiā noua soliditatis conditione accidente, & ppter continentia aquarū, eidem quasi confirmauit.) *Et factum est vespero & mane* (noua rursum elapsa nocte & die artificiali, spatio horarū viginti quatuor) *dies secundus*, [ ut dictum plurib⁹ q. 3. dub. 1.]

Versus 9. *Dixit vero Deus; Congregetur aqua, quæ sub calo sunt* (elementares nimirum fluidæ, & terram vndiq; sphæra modo circumdantes) *in locum unum*, (constituendo unam sphæram cum terra;) *& appareat*, (sitq; actu reipla atq; existat) *arida*. *Et factum est ita*. Vide q. 4. dub. 1.

Versus 10. *Et vocauit Deus aridam terram* (nomen itidem huic substantiæ iam antea conueniens, etiam accidente ariditatis conditione, eidem confirmingando;) *congregatione que aquarum appellauit maria*: *Et vidit Deus quod esset bonum*: [ non quidem particulari naturæ aquarum, sed totius vniuersi, hominisque ac animalium futuræ habitationi cōueniens, ut dictum q. 4. dub. 1.]

Versus 11. *Et ait, Germete* (concursu passiuo & materiali, non actiuo) *terra* (iam aquis nudata) *herbam virulentē, & faciente semen*. (etiamq; venenata sit) *& lignū pomiferū faciens fructū, iuxta genus suū* (omnisiq; adeo generis arbores) *cuius semine (ad propaginem futuram necessarium) in semetipsa sit super terram*. *Et factum est ita*. [ vid. q. 4. dub. 1.]

Versus 12. *Et protulit terra* (actu & formaliter, non tantum virtualiter & in potentia) *herbam virulentem, & facientem semen, iuxta genus suū, lignūque faciens fructū, & habens unumquodque semen*, secundum speciem suam. *Et vidit Deus, quod esset bonū*.

Versus 13. *Et factum est vespero & manedies tertius*. [ perinde ut versu 5. dictum est.]

Versus 14. *Dixit autem Deus; Fiant* (non, ex nihilo; nec substantiali mutatione, sed ex substantia cœlesti præsupposita, addito lumine, ex dictis quæstion. 4. dub. 1.) *luminaria* (tam stellæ inerrantes, quam planetæ) *in Firmamento cali*, (solido illo corpore cœlesti; ex dictis quæst. 3. dub. 1.) *& dividant (motu diurno) diem ac noctem*; (non solum: hoc enim faciebat etiā lux illa imperfecta primo die creata; sed) *& sint (motu suo proprio) disformiter, uniformi, quæ una cum suis orbibus, quibus inexistunt, conficiunt) in signa* (prognostica serenitatis vel pluviae &c.) *& tempora* (distinguendo quatuor anni tempora; ver, aestatem, autumnum, hyemem) *& dies*, (artificiales) *& annos* [ eorundem spatia definiendo; quandiu hoc ad rerum inferiorum generationes, & habitantium in terra hominum usus, nimirum ad extrellum usque iudicij diem, erit necessarium, ex dictis q. 4. dub. 2. & 5.]

1779

- 15 Versus 15. *Vt luceant in firmamento celi* (sue propria luce singula, sive à sole accepta) & illuminent terram. (non autem vt habitationem præstent nouo generi mortalium in astris habitantium, ex quæst. 2. dub. 5.) *Et factum est ita.*
- 16 Versus 16. *Fecitque Deus duo lumina magna* (respectualiorum astrorum, saltem ad aspectum) *luminare manus* (sive solem;) *vt preefet diei* (artificiali, eius horas ac spatium suo motu supra horizontem definiendo;) & *luminare minus* (sive lunam) *vt preefet nocti* (eam vtcunque etiam illustrando, maxime dum in principio noctis plena exoritur) & *stellaras*. [ceteras, tam inerrantes, quam errantes reliquias, ex quæst. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.]
- 17 Versus 17. *Et posuit eas* (vtriusque eius generis stellaras) *in firmamento celi* (sue corpore coelesti consolidato, ex quæst. 3. dub. 1. & q. 4. dub. 2.) *vt lucerent* (singulis iuxta suam conditionem & modum) *super terram*.
- Versus 18. *E: preefent diei ac nocti* (modo explicato) & diuididerent lucem ac tenebras (corum tempora & spatia definiendo) *Et vidit Deus, quod esset bonum* [toti nimirum Vniuerso, rerumque creaturum, seu faciendarum naturis admodum contentaneum].
- Versus 19. *Et factum est vespero & mane dies quartus* [naturalis, horarum viginti quatuor, modo superius explicato].
- 20 Versus 20. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ* (elementares, seu corpus elementare liquidum terra proximum) *reptile* (aquaticum) *animæ viventis* (adeoque pisces) & (producant quoque aquæ) *volatile super terram, sub firmamento celi* (sue sub ipso corpore coelesti consolidato, ex q. 3. dub. 1.).
- Versus 21. *Creatuque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque notabilem* (aquatilia omnis generis) *quam produxerant* (concursu passiuo) *aqua in species suas: & omne volatile secundum genus suum.* *Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quæst. 5. dub. 1.]
- Versus 22. *Benedixitq; eis dicens, Credisce & multiplicamini, & replete aquas maris, auctisque multiplicetur super terram.* [continua & indefiniti propagatione..]
- Versus 23. *Et factum est vespero & mane dies quintus* [modo superius explicato].
- Versus 24. *Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo* (animalia terrestria) *iumenta, & reptilia* (terrestria) *& bestias terra, secundum species suas.* *Factumque est ita.*
- Versus 25. *Et fecit Deus bestias terra iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terre in genere suo.* *Et vidit Deus quod esset bonum.* [vide quæst. 5. dub. 1.]
- Versus 26. *Et ait: Faciamus* (verba diuinarum personarum inter se quasi consultantium) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* (vt secundum animam, sit imago, & per gratiam similitudo nostra, tam secundum naturam Deitatis, quam Trinitatem personarum, ex dictis q. 5. dub. 1.) & *prefat* (dominio naturali, de quo quæst. 5. dub. 2.) *piscibus mari, & volatilibus celi, & bestijs terra, omnique reptili, quod mouetur in terra.*
- Versus 27. *Et creauit* (ppria creatione, spectando animam) *Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum; masculum & feminam* (non ta-
- men simul, sed successiue, nec in eodem loco ex q. 5. dub. 2.) *creauit eos.*
- Versus 28. *Benedixitq; illis Deus, & ait: Credisce & multiplicamini* (naturali via generationis, ex dictis q. 5. dub. 2.) *& replete terram; & subiicie eam* (quoad pro ratione stat⁹ yobis commodum, aut necessarium erit) & *dominamini pescibus mari, & volatilibus celi, & vniuersis animalibus, que mouentur super terram.* [De quo dominio actum q. 5. dub. 2.]
- Versus 29. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis (vestroq; dominio subiecti) omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna* (excepta arbore scientiæ boni & malii) *quaæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sine vobis in escam;* (quoad natura singularum fert) & *cunctis animalibus terra, omnique volucri celi, & vniuersis quaæ mouentur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad descendum.* *Et factum est ita.* *Viditq; Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona.* *Et factum est vespero & mane dies sextus.* Plura de hominis conditione, in statu innocentie, diximus quæst. 5. dub. 2.
- Ex quibus omnibus intelligitur, opificium Hexaem. sive sex dierū, ita à Deo conuenienter fuisse peractum, ut initio quidē statim creatio celi & terra, ac elementorum, adeoq; totius mundi quoad substantiā à Deo peracta fuerit; hic deinde successerit op⁹ distinctionis rerū antea creatarū; quod factum est primo, secundo, & tertio die, productione lucis; separatione aquarū celestium & elementariū; & congregatiōne aquarū elementariū in vnum locum: hinc deniq; tum eodem die tertio, tum reliquis diebus, subfecutum & peractum fuerit opus ad ornatum eiusdem mundi priuens, p̄t iuxta communem Doctorum sententiam fuisus tradit S. Thomas q. 65. & sequentibus presertim q. 70. a. 1.
- Atque hæc de opificio sex dierum, totaq; parte prima S. Thomæ satis, Nam quæ is porro de gubernatione Dei disputat, quantū Scholastica tractatio requirit, iam antea suis locis expeditiūmus.
- Nos interim, vt cum S. Basilio. I. Hexaem, loquar, Conditor optimum rerum sapientissime formatarum glorificemus, & ex visibilium pulchritudine, illo qui nimis optimus est, contemplemur. Et ex magnitudine corporum circumscriptorum mettamur illum infinitum, & maximum, omnemq; cogitationem cordis humani sue virtutis amplitudine transgredientem, Nam licet creatura naturam minime comprehendamus, tamē idipsum, quod tenuiter nostro subiicitur intellectui, tantum habet admirationis, ut eriam velocissima mens inferior videatur his rebus, que in hoc mundo habentur exiguae; debitamq; super omnibus laudem Conditoris referamus impensum: cui gloria, & honor, nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.

FINIS.

*Laus DEO Creatori Celi & terre, & Deipara cali Regine, Virgini Maria, Omnibusque Celi ciuibus, & huius mundi Triumphatoribus.*

INDEX